



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

II. Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

dubium tamen à nonnullis vocatus est. Thalmudistæ Ezechia, ipsiusque familiaribus adscribunt, ut est in Baba bathra: quorum auctoritatem secutum conjicio R. Mosem Kimchi, aliosque, qui ab Isaia Propheta ex Canticis Salomonis excerptum illud fuisse suspicati sunt, ut pote qui inter Ezechia familiares censeri possit. At Rabbinus recentioris ævi à Salomone scriptum esse statuunt, cum juvenili floreret ætate; quæ ætas amoribus magis dedita est; uti Proverbia cum grandior esset natu, Ecclesiasten cum jam consensisset, sicut à me paulo superius dictum est. Titulus quidem operis, cum in Ebraico exemplari, tum in Septuaginta Senum interpretatione, Salomonem auctorem indicat. Loquens inducitur Salomon cum Sulamitide, Sponsus cum Sponsa: quæ à Salomonis nomine Sulamitis nomen habet. Salomonem ipsum hæc scripsisse facile creditur, quem carminum, non quinque millia, ut scribunt Irenæus, & Synopsos Auctor, & Hieronymus, & ut habent quædam Vulgatæ Interpretationis editiones, sed quinque supra mille composuisse docent libri Regum; & quem in cantilenis, & proverbiiis, & comparationibus, & interpretationibus miratas esse terras Sirachides tradit. Reliquis autem absuntis, vel in Hierosolymitana clade & Babylonico exilio, vel aliis quibuscunque temporibus, hoc ab interitu servatum fuit, sive singulari Dei nutu, quod hoc egregio dramate suus erga Israëliticam gentem, vel erga humanam animam, vel Christi erga Ecclesiam amor exprimeretur; sive propter eximiam operis elegantiam, quæ talis est, nihil ut in eo genere simile Theocritus, aut Catullus elaborarint. Nam si quasdam similitudines ac translationes excipias paulo audaciores, ut est usus gentium illarum, consuetudini nostræ minus congruens, tot porro veneres, tot lepores, motus tam molles ac *αἰσθητικῆς*, tam expressas, tam decoras imagines rerum, tam aptam & convenientem colloquentibus personis Sponsi ac Sponsæ, & juvenum ac virginum choris orationem invenies, ut merito ab Ebraeis nobilissimum & eximium Canticum, & Canticorum Canticum appelletur. Quamobrem prudenter ab illis factum reor, cum viris solum jam ævo maturis Libelli hujus lectionem permiserunt; ne in lasciviam prona sponte sua adolescentium ætas, ad arcanos sensus minime penetrans, his illecebris ad amoris delicias invitaretur. Partim autem ex hac causa, partim ex operis brevitate evenisse puto, ut in sequentium ætatum Scriptoribus sacris vix ulla operis hujus vestigia appareant: sed ex iis quæ diximus satis perspicitur ipsius antiquitas, & ex eo præterea quod in præscum Canonem receptum est, & quod in interpretatione sua cum reliquis Voluminibus sanctis id complexi sunt Senes Septuaginta. Atque id ad institutum operis rationem satis superque est.

II. Cæterum ita offendit nonnullos amatorum hoc scriptiois genus, secretiora nuptiarum arcana, lenesque amantium sub noctem susurros aperte revelans, ut à Deo auctore profectum, & divino afflatu conscriptum plane negarent. Fuerunt in ea sententia præsci quidam Hæretici, quos Theodoretus & Philastrius commemorant; fuerunt deinde & Anabaptistæ, nec ab ea recessit Castalio. Verum ut Christianos Interpretes præteream, qui latentia illic mysteria pie & sagaciter fuerunt scrutati, ita de eo sensit Rabbinorum omnium doctissimus & sapientissimus Moses ben Maimon, & Mosè hoc antiquior Chaldaeus Paraphrastes, ut amatorii illius *ὁμοιωσῶν* specie, Dei erga dilectum sibi ac fidelem populum amorem significari affirmarint. Igitur Ebraei Philosophiam Ethicis, Physicis, ac Theologicis disciplinis contineri sciscunt: quas cum posteris Salomon tradere vellet, multis exposuisse libris, quorum plerique diuturnitate perierunt; ac Ethica quidem, libris Proverbiorum & Ecclesiastis, aliisque per Parabolas digestis; Physica vero, libris ad historiam plantarum & animalium pertinentibus; Theologica denique Cantico Canticorum. Id ipsis videtur persuasisse tertius liber Regum, quo inter lucubrations Salomonis *משלים*, *משורים*, & Disputationes de rebus physicis commemorantur. Persuasit fortasse & ipse Salomon, cum in libro Proverbiorum sapientiam se descripsisse tripliciter ait. At Christiani Interpretes Canticum Canticorum ad Theologiam uno consensu referentes, & Proverbiorum librum ad Ethicam, Ecclesiasten ad Physicam pertinere volunt. Multa in id argumentum differit Origenes, & Logica præterea, quæ cum reliquis conferta, connexaque est, à Salomone quoque libris iisdem traditam fuisse demonstrat: atque hinc Græcos Philosophos doctrinam suam quatuor in partes discrevisse; laudem inde ac gloriam, sic tanquam ex proprio invento, quærentes, quæ Salomoni inventori tota debebatur. Hunc locum transtulerunt Theodoretus & Hieronymus.

III. Quamvis autem Dei nomen in hoc Cantico nusquam extet, quod causantur aliqui, sub Sponsi tamen persona latere Deum ipsum dicimus; atque hic Salomonis nomen, Pacifici nimirum, & amato sibi populo pacem optantis & conciliantis, usurpare: nec magis Libri hujus auctoritati officere id posse, quam libro Esther, qualem habent Ebraei, in quo etsi nulla de Deo mentio est, opus tamen sancti Spiritus esse creditur.

*Cantici Canticorum. Variæ opiniones proponuntur. Salomoni adscribitur, e jusque probatur ætate & antiquitas.*

*Iren. libr. 4. cap. 45. Hieron. Quest. Ebr. in 1. Reg. 3. Reg. 4. 32. Eccl. 47. 18.*

*Reselluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum. Theodor. Præf. Epl. in Cantic. Philast. Hist. 131.*

*3. Reg. 4. 32. 33.*

*Prov. 22. 20.*

*Origen. Com. in Cantic.*

*Theod. Explan. in Cantic. Hieron. in Eccl. 1. 1.*

*Secundum argumentum.*